



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Joannis Pierii Valeriani Bellunensis Hieroglyphica, Sive De
Sacris Ægyptiorum Aliarumque Gentium Literis,
Commentariorum Libri LVIII**

Valeriano, Pierio

[Lipsiae] ; Francofurti Ad Moenum, 1678

Modestia.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14259

NEque alia de causa crediderim ego mulieres Elienses, cum Baccho, quem colebant, preces fundere orare solitas, ut *βοτῶν ποδῶν*, Taurino quippe pede, ad se veniret, nisi ut suam ita modestiam ostentarent: nihil enim minus foeminam decet quam praecipitancia, vel ardor audacia. Quare Dido, Virgiliana cum modesta inducitur, breviter, & vultum demissa profatur. Figurabant vero Graeci Dionysium Tauri specie, quod eundem, & Osirim intelligebant, de cuius probitate atque iustitia summissq; in humanum genus beneficiis, multa multis in locis hoc commentandi genere dicenda sunt. Porro Dionysius apud Argivos *Βουβωνεύς*, quasi bovigenam, aut ex bovillo genere dicere vellent, cognominabatur. Quod vero superius dictum est, caelestem Taurum pios & honestos atque legitimos amores afflare, non sum nescius Julium Maternum iis impudicitiam minari, qui Taurum habuerint in horoscopo: maluissem eum prolificum, aut foecundum dicere, ne notam eam caelo injussisset immerito. Hujus sane fertilitatis, & praesentaneae seminis facultatis ergo institutum ajunt boni ominis causa, ut in condepdis oppidis sulco illo primigenio imprimendo, Bos fmas non castratus, & Vacca jungerentur, & cum sacrificabant circum moenia, quinto quoque anno integra animalia mactabant. Sane Orpheus mensem *μονουήρωτα μόχρον* appellat, unicornem quippe Vitulum. Et Eustathius *Ἰλιάδ. α* mensem ait Bovem dici: utpote qui sit generationis effector.

PETULANTIAE FRÆNUM. CAP. III.

ADhac Niliaci illi sacrorum custodes, cum hominem a priori petulantia sibi modestius consulentem significare vellent, non simplici forma Taurum, sed Caprifico caput, colla armoque redimitum, pro istiusmodi virtutis hieroglyphico proponebant. Caprifico enim ea vis est, ut lascivientium Taurorum, & quantumvis ferocientium naturam usque adeo compefcant, eorum collo circumdata, ut immobiles propemodum eos reddat: cujusmodi Taurum ab Hercule compressum domitumque mystico fabulamento Gracia confinxit, perinde ac reliqua etiam monstra superata, cessisse virtuti vitium hieroglyphice significant: tamen non sum ignarus, quæ de Tauro Herculeo traduntur, referri à pierisque ad Acheloum amnem, cujus fabula, quia omnibus est scholis triticissima, mihi nunc est dissimulanda. Origenes Adamantius Taurorum immolationem, quæ in divini numinis tabernaculo fieri iussa est, per Hebræorum legem, significare dicit apud nos superbiae tumorem & insolentiam esse mactandam. De vitulo vero in holocaustum offerendo, copiosissime scribitur ab eodem in Levitico homilia secunda.

Taurus ab
Hercule superatus.



OBTUTUS AMATORIIUS. CAP. IV.

NEque tamen illud omitti debet, Obtutum amatorium, qui modestia servata fiat, ad Tauri oculos referri solitum à peritissimis. Unde illud, *βλέπειν ταυροὺς*, quod tum in Platonis, tum in Xenophontis Conviviis, & Phædone, & alibi, eadem fere sententia positum animadvertas, tamen nonnulli rem ad indignationis significatum retraxere, torvumque tueri interpretantur: quo significato apud Aristophanem super Æschylo dictum, *ἐλάψε γὰρ ταυροὺς ἐν γυμνάσιον καὶ τῶν Ἀσπίων ἰσχυρῶν*, Tauricè ad humum lumina deiecit. Hac enim facie iratus Æschylus inducitur ab Aristophane. Neque sum nescius torvitatem à Taurorum ferocia dictam, ut etymologiarum authores tradunt, qui torvitatem Tauri acerbitatem interpretantur. Huic longe dissimile est *βοῶπις*, quo quidem oculorum pulchritudo, atque gratia significatur. In iis tamen quos superius citavi, nimirum de amatorio obtu;